



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

15. Cognatio legalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

transuersa, siue recta ascendentium, & descendentium. Et prohibitio ista est conuenientissima, *lib. 7. disp. 53. nu. 1. & 2.*

9 Cognatio carnalis nō dirimit matrimoniū, quando contrahentes distant inæqualiter à communi stipite, si remotior distet ultra quartum gradum, quamuis vnus distet in primo gradu, & alter ultra quartum, *lib. 7. disp. 53. nu. 4. & 5.*

Cognatio legalis.

1 Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione proueniens, & est triplex. Prima inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati descendentes, & est linea recta. Alia est linea transuersa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Alia est ad similitudinem affinitatis naturalis inter adoptantem, & uxorem adoptati. Et cognatio legalis, quæcumque sit, non oritur ex adoptione imperfecta, matrimonium impediens, nec dirimens, *lib. 7. disp. 63. nu. 5. & 6. 9. & 10.*

2 Cognatio legalis orta ex adoptione, seruat omnimodâ formâ præscripta legibus, dirimit matrimonium subsequens iure humano. Vnde apud infideles valet matrimonium, si fiat adoptio. Item dirimit sponsalia præcedentia. Tamen superueniens, matrimonio iam contracto, non impedit petitionem debiti, *lib. 7. disp. 63. à nu. 11. vsque ad 22.*

3 Cognatio legalis dirimens matrimoniū in prima specie rectæ lineæ, & in tertia affini-

D 4 tatis.

ratis legalis non cessat soluta adoptione. In secunda verò specie lineæ transuersæ non dirimit, nisi quâdiu durat adoptio, vel patria potestas. Et vt cesset, debet seruari solemnitas legibus præscripta in dissoluenda adoptione per emancipationem, *lib. 7. disp. 63. nu. 24. & 25.*

4 Cognatio legalis non oritur inter adoptantem, & adoptiui parentes, *lib. 7. disput. 63. num. 26.* Item filij legitimi adoptantis possunt contrahere cum adoptiuis post parentis adoptantis mortem. Item quâuis viuat adoptans, si filij legitimi, aut adoptiui sint emancipati. Item fratres adoptiui inter se, & filij duorum fratrum adoptiuorum, & filia carnalis illegitima adoptantis cum adoptato possunt contrahere, *lib. 7. disp. 63. n. 27. 28. 29. & 30.*

5 Cognatio legalis inter adoptantem, & adoptati descendentes, protrahitur in infinitum. Quod intelligendum est de ascendētibus adoptantibus, & descendētibus adoptatis, & non de alijs, nec de illis, qui erant extra potestatem adoptiui tempore adoptionis; & nulla cognatio legalis contrahitur inter patrem adoptantem, & filiam filiaæ adoptiuaæ, nec inter adoptantem, & quoscumq; filios illegitimos adoptati, *lib. 7. disp. 63. nu. 34. 35. & 36.*

Cognatio spiritualis.

1 Cognatio spiritualis est propinquitas quedam personarum ex statuto Ecclesiæ confurgens, propter collationem Baptismi, vel Confirmationem, vel susceptionem recipientis
hac